

ZITT.

LESISCHES
STENTHUM
HWEIDNIZ

Civitates mo
Civitates mo
provincialib
Civitates sine
Oppida.
Castra ac No

Buchwald

Vol 132.



ribu
nib
P.
me
bil
Pa
na
hen
BU

I. S. G.

DISPUTATIO PHYSICA

DE

ANIMA HUMANA

QUAM

Permifſu inclytæ Facultatis
Philofophicæ

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Ampliſſimi, Excellentiffimi atq; experientiffimi

DN. JOHANNIS ITTIGII

Phil. & Med. Doctoris longè celeberrimi, Phyſices Prof.

Publ. meritiffimi, Colleg. Min. Principp. Collegiati &c.

Patroni & Præceptoris fui ætatem
devenerandi

examine publico ſiſtit

JOHANNES Schulz/ Gorlic. Luſ.

S.S. Theol. Studioſus

AVTOR & RESP.

In ACaDeMia Liplenſi.

die 27. Octobr.

H. L. C.

Prolo WITTIGAVIANO.

B. 132
10.

DISPUTATIO PHYSICA

VIRIS

Magnifico, excellentissimo, Spectabili, prudentis-
simis, Consultissimis, Clarissimis, pereximis,
& Præstantissimis

Dn. SENIORI & reliquis
Assessoribus atq; **MAGISTRIS** inclutæ
NATIONIS POLONICÆ

Patronis, præceptoribus atq; fautoribus suis
æ vitæ æ colendis atq; Iuspiciendis

*in debita observantia documentum & favorem
studiorum suorum, primitias hujus
Academias*

Submissè offert

AUTOR.

Handwritten mark

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ



E ANIMA HUMANA συζητησιν instituturos
alterâ parte deterret difficultas, quæ resultat ex
caligine intellectûs nostri, quippe qui post lapsum
sicut in aliis, ita præprimis hic cæcutit sicut
τὰ ὄμματα τῶν νυκτερίδων πρὸς τὸ μεσημεριῶν
Φέγγος, ut cum Philosopho loquar: alterâ verò

parte invitat dignitas & summa utilitas, qua cum hujus rei con-
sideratio conjuncta est. Usq; adeò verum dixit quicumq; dixit
μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὐτῷ σοφός. Idcirco hanc apud nos præpon-
derare patimur, rati, magna rei quantulumcumq; possederis, par-
ticipem fuisse, non ultimam esse laudem. Quò autem facilius pro-
gredi queamus: *sedemur hac methodo, ut videamus. 1. AN SIT.*
2. QUID SIT. 3. QVALE SIT. 4. CUR SIT.

SECTIO I.

§. I.

Etsi, animam humanam existere, tam in propatulo est, ut nemi-
nem, cui sanum est Synciput, id serio negare posse existimem: ni-
hilominus tamen, referente Cicerone Tulc; quæst. I. Dicæarchus se-
nem quendam differentem induxit, nihil esse omninò animam, & hoc
esse nomen totum inane, frustra q; animalia & animantes appellari: neq;
in homine inesse animum vel animam, nec in bestia, vim q; omnem eam,
quâ vel agamus quid, vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis equabi-
liter esse fusam, nec separabilem à corpore esse, quippe quæ nulla sit, nec
sit quicquam, nisi corpus unum & simplex, ita figuratum, ut temperatione
naturæ vigeat.

§. 2. Verùm enim vero, quid per illam temperiem naturæ, vim,
quâ agamus &c. Intelligat senex ille, nondum explicuit. Conjecturi-
non ludam, quippe quæ neq; mihi, neq; aliis satisfaciunt; sed asser-
tum hoc sine ratione adductum facile rejiciam. In Academiis namq;
(verba sunt Comptoni phys. disp. II. Sect. I. n. 4.) & doctorum hominum
cœtu tantùm quis obtinet, quantum rationibus evincit, si quid sine proba-
tionibus proferatur, rejicitur ut fictitium.

§. 3. Quinimò, eo ipso, quod animæ humanæ existentia negat, eandem probatum venit. Negare enim est actio, quæ vel ex eo denotat peculiare principium, quod præterquam in homine non usu veniat.

§. 4. Huc revoco omnes alias operationes intellectus nimirum & voluntatis, quæ radicantur in aliquo principio. Unde cum mortuo homine videamus nullas hujusmodi exerceri operationes, colligimus, aliquid vitale recessisse; à quo tanquam à principio operationes istæ procedebant. Quod eo ipso erit anima humana. Licet enim dicam esse qualitatem occultam: illa ipsa tamen præsupponit aliud principium, usq; dum deveniam ad primum & genuinum. Nam certum est aliqua accidentia aliquibus rebus convenire conaturaliter, & aliis disconvenire: calor enim convenit igni, & disconvenit aquæ ut colligitur ex eò, quod non sit in aquâ, nisi ab extrinseco agente, quò semotò, aqua se reducit ad pristinum frigus, rejiciendo calorem. Sic quoq; in homine erit principium, cui conaturaliter conveniant actus intellectus & voluntatis. Quod consveto vocabulo voca animam humanam.

§. 5. Franciscus Bonæ Spei phys. part. 1. r. r. disp. 3. dub. 1. n. 29. opponit e hisce, dicens: *hoc argumentum sistendo in cognitione purè naturali nihil probare: accidentia enim non dici rebus convenire, quia in illis est principium aliquod ea exigens & disconvenire, quia in illis est principium aliquod contraria exigens: sed quia illæ res similibus accidentibus essentialiter constituuntur, & aliæ contrariis, nec si res illæ accidentia deperdunt, illa recuperare posse aliter, quàm virtute agentium circumstantium.*

§. 6. Parùm urget hæc assertio. Ponamus, actus intellectus & voluntatis constitui à similibus accidentibus, & si semel amissi sint, recuperari virtute agentium circumstantium: sed unde illa similia accidentia? virtus agentium circumstantium unde? Aut à materiâ, aut aliis similibus. Non à materiâ quia hoc ipso concedit principium, ea exigens, prætereà materia non magis petit hæc quàm alia accidentia; sed indifferens est ad quodlibet accidens recipiendum Perer. Phys. c. 2. Arriag. de an. disp. 1. S. 2. n. 34. Ergò à similibus, de quibus redit quæstio. Quapropter deveniendum illi est ad aliquo peculiare principium substantiale quod hæc est anima humana.

§. 7. De-

§ 7. Deniq; qui cogitat de animâ humanâ, eam eo ipso quod cogitat, inveniet. *Repugnat enim ut putemus id quod cogitat, non existere. Ac proinde hac cognitio ego cogito, ergo sum, est omnium prima & certissima, quæ cuilibet ordine Philosophanti occurrit.* Renatus Des-Cartes part. 1. princip. philosoph. p. 2. Corpori ascribi non potest ergò peculiari principio animæ nimirum humanæ.

SECTIO II.

§. 1. Existentiâ excipit essentia, quam hac definitione explicamus.

Anima humana est actus primus corporis rationalis.

§. 2. Definitionem hanc, quia multis difficultatibus scaterere videri posset, operæ precum erit, quâdantenus explicare, atq; ubi necessarium defendere.

SUBSECTIO I.

§. 1. Missis his, quæ ad formam definitionis spectant: misso quoque definito, quod hic ut ultimum hominis gradum in ordine ad complementam substantiale considero, ipsum statim genus, quod est, (actus primus corporis) aggredior, ejus membrum prius hac sublectione absolurus.

§. 2. Notandum itaq; ex Roderico de Arriaga de an. disp. 2. sect. 1. actum primum dupliciter usurpari solere: 1. *pro virtute productiva*, 2. *Pro eo, quod est primum complementum substantiale rei.* Priori modo non omnia accidentia esse actus primos. Posteriori vero solas formas substantiales venire.

§ 3. Posteriori sensu sumimus in definitione nostrâ, imitati insuper Philosophum, qui 2. de an. per actum primum in definitione animæ non intellexit virtutem productivam, cum ibi animam à priori definisset. testente Zabarellâ c. 1. de facultatibus animæ & c. 13. de human. ment.

§. 4. His Observatis gratis addunt Conimbricenses lib. 2: de an. q. 1. vocem *substantialis* ad excludendum accidentia, cum hoc sensu sufficienter excludantur.

A 3

§. 4. Er-

§. 4. Errant deinde, & præcipuè illi, qui peractum primum intelligunt operationem primam, secuti interpretationem Ciceronis, qui ἐντελέχεια vertit Continuatam & perennem agitationem. Miror sanè nonnullos, eosq; doctissimos viros Ciceronis versioni iam firmiter inhæsisse, qui tamen, ut mox constabit, Aristotelis mentem non affecutus est. Videamus ipsius verba: ita namq; l. c. *Aristoteles Inquit: longè omnibus Platonem semper exceipio, præstans ἐς ingenio & diligentia, cum quatuor nota illa genera principiorum esset complexus, è quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam censet esse, è qua sit mens. Cogitare enim ἐς providere, odisse ἐς cupere, timere, angi, letari, hæc ἐς similia eorum, in horum nullo inesse putat, quintum genus adhibet vacans nomine, ἐς sic ipsum animum ἐντελέχεια appellat novo nomine, quasi quandam continuatam motionem ἐς perennem.*

§ 5. De quinta essentia iam nihil dicam, cum alias Aristoteli sic Cœlum l. i. de Cœlo, & quomodo Cicero in hanc sententiam venerit videatur Joh. Baptista Monlorius de ἐντελεχεία. Quod verò vocem ἐντελεχείας concernit, dico cum Simplicio 2. phys. text. 13. esse peculiare Aristotelis inventoris nomen, & significare formam quæ est actu. Ita n. simplicius l. c. τὸ δὲ ἐντελεχείας ὄνομα λέγεσθαι μὲν αὐτὸ ἔξ Αριστοτέλους ἴδιον σημαίνει δὲ τὸ εἶδος τὸ ἐνεργεῖα ὄν.

§. 6. Novum nomen, in quantum tribuitur anima, ipse concedit Cicero; an verò vocabulū ab Aristotele effectum fuerit, nescio an concesserit. Johann. Bapt. Manlorius c. l. affirmat, & dat Ciceroni ἐντελέχεια esse novum nomen Aristotelis, quia ejus esset primus inventor: verum sibi ipsi non constat. Paulò enim post, ne Ciceroni ignorantiam Græcæ linguæ attribuat, dicit Ciceronem pro ἐντελεχεία legisse ἐνδελέχεια, quod posterius vocabulum, uti constat ex illo Menandri πάντα ταῖς ἐνδελεχείαις καταπονέται πράγματα: ipse quoq; Monlorius concedit ante Aristotelem usurpatum fuisse.

§. 7. Utcunqua tamen sit, sive ἐντελέχεια sive ἐνδελέχεια legeris nihil interest: dummodo pateat mentem Aristotelis (ut de natalibus horum vocabulorum nihil dicam) non imbibisse. Sic enim ait Philosophus 3. Phys. c. 1. ἐστὶ δὴ τὸ μὲν ἐντελεχεία μόνον, τὸ δὲ δύναμις καὶ ἐντελεχεία: τὸ μὲν τὸ δε τι, τὸ δὲ τὸ σὸν δε, τὸ δὲ τὸ ἰόν δε, καὶ ὅτι τῶν ἄλλων
λων

λων τῶν ἐόντων κατηγοριῶν ὁμοίως id est, existit sane quippiam, aliud quidem ἐντελεχεία solum, aliud vero potestate ἔντελεχεία: cum quod est ἐντελεχεία, aliud quidem est hoc aliquid, aliud tantum aliud tale, ἔντελεχεία in aliis entis categoriis similiter. Ubi sanè ἐντελεχεία nō significat agitationē, quod patet ex exemplis ibidem allatis, ubi dicit, aliud esse calidum δυνάμει, aliud verò ἐντελεχεία: ὁ agitatione. Pariter videre est lib. . de an. c. 1. ubi sedes animæ habetur: quod si respexisset Cicero, aliter fortassè retulisset. Si enim anima esset operatio, esset accidens: cum enim duplex sit ἐντελεχεία Philosopho, altera quæ est habitus & forma, ut scientia, altera quæ est actio manans ab ea forma ut contemplari. Atqui Aristoteles loco citato apertè docet non esse animam ἐντελεχείαν secundam veluti contemplationem, sed primam veluti scientiam.

§. 8. Nec puto hæc frustrà contra Ciceronem disputari, cum non videam, quomodo excusari possit. Licet enim statuere velim ex alio scripto Aristotelis, quod injurià temporis interierit, eruisse hanc sententiam: quicquid sit descripto: hic tamen sensus Philosopho absq; contradictione tribui non poterit.

§. 9. Cæterum neq; Commentatori, quem sequitur Cajetanus, ad stipulor, qui referentibus Conimbr. de an. lib. 2. c. 1. per actum primum intelligit formam non operantem, per operantem verò actum secundum: Falsissimum hoc est. Debeant meminisse ex Logicis genus debere definito, necessario & semper competere, quod non fit, si cessat esse actus primus, quando operatur: aut anima tum non erit anima, negato enim genere negantur species. Quod absurdum.

§. 10. Dicendum potius actum primum neq; importare operationem neq; negationem operationis, sed ab utraq; esse præcisum, & cum utraq; stare posse. Stal. Metaph. c. 9.

SUBSECTIO I.

§. 1. Hæc de actu primo, vox Corporis sequitur.

§. 2. Circa quam ex Mendoza de an. disp. 2. Subs. 4. & Comptono hic disp. 7. S. 4. observandum, Corpus dividi à Philosophis in Physicum ἔντελεχεία & Mathematicum. Hoc ajunt quantitas est, ἔντελεχεία dicitur trina dimensio: illud dividitur in totale, quale est omne compositum ex materia primà

primâ & formâ substantiali, quod constituitur directè in predicamento
substantia, & partiale, quale est omnis materiâ prima. Carleton ad-
dit simplex, seu aliquid per se completum non constans materiâ & formâ,
uti Cælum.

§ 3. Omissis iis, quæ de conceptu corporis fusè disputant Scho-
lastici, dico corpus intelligi hic completum constans materiâ & for-
mâ, seu materiâ ab ipsa animâ secundum gradum corporis infor-
matam, qual è in definitione animæ Aristotelicâ sumi, affirmant Com-
plutenses q. 2. Franciscus Bonæ Spei resol. 1. Fromond. lib. 1. c. 5. art. 5.
& communiter Thomistæ. Quam quoq; sententiam Mendoza §. 1.
non falsam iudicat, nisi, non posse materiâ primam intelligi, affir-
mare velit.

§. 4. Difficilis nonnullis, imò Jacobo à S. Josepho planè ridi-
cula venit hæc explicatio: Idcirco peculiarem formam corporei-
tatis, alii totalem, alia partiales constituunt, quos citant Complu-
tenses disp. 2. de gen. & corrupt. q. 4. §. 1. & Franciscus B. S. phys. p. 1. tr. 2.
d. 3. dub. 5. res. 6.

§. 5. Ego tamen cum nobili Thomistarum Scholâ illud omninò
sese habere existimo nisi velim iuxta conceptus & gradus unus com-
positi formas præter necessitatem multiplicare. Idq; eò magis, quia,
gradus corporis in lapide, igne &c. non dicuntur aliam formam à speci-
fica; aut si materiæ coævam putant, etiam ea sublatâ nihilominus
elementum ignis ut corpus concipio seclusa nimirum differentia
specifica.

§. 6. Accedit, corpus prædicari de homine in quid: E, profluit
ab ipsa anima hominis, quia, ut colligitur ex 7. Metaph. quæcunque
quidditative prædicantur de aliquo, illa sunt ejusdem naturæ: quia
non oportet, ut entia multiplicentur præter necessitatem in viâ
Philosophorum, quia natura nihil facit frustra. Zimara Theor. 20.

§. 7. Dicis: animam humanam sic esse actum sui ipsius cum iam
involvatur in corpore? Hanc objectionem infra diluam ubi de diffe-
rentia egero.

§. 8. Ut autem assertionis hujus veritas magis elucescat, videa-
mus argumenta adversariorum, maxime eorum qui formas partiales
statuunt, cum forma totalis defensore, quod ego quidem iciam, pro-
pmodum destituaatur.

§. 9. In-

§ 9. Inter eos agmen ferè ducit Zabarella cap. 2. de gen. & interitu, quam sequuntur Murcia, Landinus, Caramuel, Conink, Camerarius ut citat B. S. Eustach. à S. P. Jacob. à S. Josepho &c.

§. 10. Duo nobis præcipua proponit argumenta quorum primum est *animam non debere inherere immediatè in materia prima, sicut forma elementi; sed in materiâ magis elaboratâ, qualis est materia formata elementorum i.e. forma mixtionis, quæ ex eis provenit.*

§. 11. Leve sanè hoc argumentum, ob quod entia multiplicet. Non negamus, animam requirere elaboratiorem materiam quam lapis, ad varias nempe functiones: sed ipsa sibi ipsamet elaborat: ceu illi statuunt, qui traducem defendunt, vide B. Meisner. Phil. sobr. quæst. Phys. S. 3 p. 925.

§. 12. Quod si verò quis animam hominis ante elaborationem organorum animam vocare dubitaverit: cum sensu Aristotelicò anima sit actus corporis organici: cum eò acriter non pugnabo, sufficere me obtinere sibi ipsi organa fabricare, quibus deinde in esse animæ utatur, quæq; ipsa informat. Interim hoc sensu definitio Aristotelica alium sensum admitteret, nimirum Philosophum, non tam ad organicum quam ad potèntia vitam habens respexisse sicut Fromondus lib. 1. c. 1. art. 9. dicit.

§. 13. Alterum petit à diverso motu, naturali scilicet & animali, quorum ille à formis partialibus, hinc ab anima provenire debeat. Quasi verò non uterq; ab anima humanâ diversis modis provenire possit. Non inauditum est in schola philosophicâ, unam eandemq; rem causam esse rerum oppositarum uti voluntas. Causatur ergo motus naturalis ab ipsa anima hominis mediante temperamento, eoq; vel ut causa instrumentali, vel conditione sine quâ non, si gravitas non realiter differt à forma. Arriag. d. 3. S. 6.

§. 14. Quæ porrò de quatuor elementis eorumq; formis in mixtis objiciuntur, refutantur à Conimbr. lib. 1. de gen. & corr. q. 3. art. 2. Hurtad. de Elem. disp. 6. S. 2. Arriag. d. 4. de gen. S. 7. Carleton. d. 3. Phys. S. 1. n. 7. 8. 9. Fromond. de an. lib. 1. cap. 5. Eustachio à S. P. phys. part. 2. tr. q. 13. qui omnes statuunt elementa non manere formaliter in mixtis: quia alias non fieret mixtio.

§. 15. Cæterum alii optimum in eo collocant argumentum pro formis partialibus, quod post subitanèam hominis mortem aut

B

mem-

membroꝝ abscissionem in eadem collectio accidentium ossis, carnis
&c. permaneant, nihilq; tam cito de novo acquirere possint; Sic enim
Eustachius à S. P. phyl. p. 3. tr. 1. de an. gener. q. 8. *Partes illæ, ut os,
nervi &c. per solam abscissionem à corpore nihil de novo acquirunt, cum
ibi sit nulla Physica actio, per quam aliquid substantiale producat, &
tamen constat materia & formâ substantiali, cum sit aliquid substantiale
Physicum.*

§. 16. Sed contra, si formæ illæ parciales, quæ tamen require-
bantur ad animam, possunt extra animam consistere: cur non hæc
accidentia extra formas parciales? nam illa organizatio certè non
fuit à natura iatenta, pro forma partiali cæca, surda & incapaci ullius
actus vitalis. Objicit fore sic materiam absq; forma substantiali
quod naturaliter non fieret. Ego ita argumentor: Forma illa cor-
poreitatis aut est completa vel non? Si est ergo stante illa non potest
aliam naturaliter recipere formam tanquam ejus complementum:
Si non: ergò licet potest manere incompleta sub illa: ita & manere
potest sine omni forma: sicut enim existere sub hac potest in actu
incompleto: ita & sine istâ. Quid? quod recentiores nonnulli ex
alio capite probabiliter asserant, materiam primam naturaliter exi-
stere sine omni formâ substantiali, vide Arriag. Phys. d. 3. subf. 1. Fran-
cisc. B. S. part. 3. dub. ult.

§. 17. Sed transeat hoc, possum cum communi Philosopho-
rum sententia statuere formam cadavereitatis, quàm absurdam non
esse docet Arriag. c. 1. subf. 2. Fromond. l. 1. de anima c. 5. art. 6. Carleton
phyl. disp. 25. Quicquid regerat de causis producentibus quas uti aliis
in multis, ita etiam hic ignoramus, aut dicat nobis à quo forma car-
bonis igne subito extincto producat Arriag. c. 1. Imò non esse in-
conveniens recurrere ad causam primam, quemadmodum secundum
multos quantitas (si rea iter differt à materia) dicitur produci à solo
Deo: quia scilicet est passio materiæ primæ, rei tam imperfectæ, utpote
quæ nullius, ut ajunt, rei sit effectiva Carleton. c. 1. Taceo non ean-
dem omnibus videri accidentium collectionem corporis vivi & mor-
tui. Ita Scaliger exercit. 346. *Latet plebeia ingenia membra cadave-
ris alia esse specie ab iis, qua fuerunt viventis. Soli sapientes hæc hauri-
ant ex penitioribus nature fontibus.* Plura vide apud Fromondum de
an. lib. 5. c. 5. arr. 5. seq.

§. 18. Ro-

§. 18. Rogabis de aliq; quomodo os à carne, nervo &c. differant? Duplicem hinc Invenio authorum sententiam; Qui negant unionem heterogeneam ut Arriaga dicunt differre accidentibus, Carleton verò qui subscribit unioni heterogeneæ dicit differre specie, non ratione materiæ & formæ, quæ omnibus eadem est, sed ratione unionis; nihil hic determino optio sit penes lectorem.

SUBSECTIO III.

§. 1.

HActenus genus. Antequam ad differentiam progrediar, notari volo, duos adhuc gradus inter corpus & rationale mediare, Vivum nimirum & Sentiens, quos propterea omisi, tum quod putarem facile subintelligi, tum ne definitio, ubi brevitatis accurata est observanda, justò fiat longior. Hic tamen eorum mentionem facere volui, ut controversiam, quæ habetur de triplicitate & unitate animæ in homine paulatim inspicere possim.

§. 2. Dico itaq; sententiam, quæ statuit tres animas in homine non improbabilem videri vel ex eo, quod summi Philosophi ejus patrocinium suscipiunt. Mihi tamen, quantum per ætatem cognoscere possum probabiliorem videri illam: quæ unicam tantum admittit, ne entia multiplicet præter necessitatem, cujus veritas decursu hujus subjectionis constabit.

§. 3. Ante omnia notari meretur animam vegetativam & sensitivam non esse animas specificas, sed genericas & collectiones animarum quemadmodum animal est collectio hominis & bruti idq; à Philosophis compendii loco factum, ne vagentur in incertum, cum multa historia & charta, requiratur ad cognitionem & recensionem omnium animarum specificarum bruti & plantæ. In planta quidem vegetativa desumitur à communi operatione terminante, nimirum vegetare, in brutis autem à sensatione, non quod hæ operationes sint differentie constituentes, sunt enim accidentia, sed denotant principium substantiale, quod intellectus in ordine ad has operationes concipit & intentionaliter à specificis segregat, quemadmodum substantiam de lapide & angelo. Aliter tamen se res habet in anima hominis, sub quam non inferiores animæ collocantur, cum ipsa sit infima, licet sint possibiles ubi Compton. phys. disp. II. Sect. 2. n. 4. statuit.

§. 4. Quemadmodum igitur nulla essentia generica à parte rei differt à suis speciebus, non enim color differt realiter ab albedine, substantia ab Angelo, quia prædicantur inquit, per copulam est, quod est signum identificationis: ita etiam hæ animæ genericæ non differunt à specificis nisi ratione: v.g. anima vegetans non differt realiter ab anima rosæ lili &c: anima sentiens ab anima leonis &c.

§. 5. Jam quia sensitiva à brutorum, vegetativa à plantarum formis specificis realiter non differunt, cur in homine ab anima rationali? Nonne possunt hæ animæ secundum hosce gradus convenire? quemadmodum Angelus & lapis in substantia.

§. 6. Adrianus Heerebordus disp. phil. 47. vol. 2. exiade multiplicat animas, quia operationes vegetativa, sensitive ac rationalis temporibus distinguuntur. Bone Deus, si sic philosophari volumus, quot darentur animæ in homine, alia vegetans, alia sentiens, alia ridens alia loquens & sic porro. Conveniunt enim hoc, quod operationes temporibus distinguuntur, quæ tamen sunt absurda.

§. 7. Objiciat reliquas omnes ab anima rationali resultare, quia sunt peculiare: vegetare autem & sentire etiam à peculiaribus, quæ sint in homine bruto & planta præter specificas propter correspondentiam operationum.

§. 8. Non disputo iam an illæ operationes communes specie differant an non, sed adversario largiar: interim tamen affirmare non dubito, unam eandemq; formam habere suas operationes proprias & præter has aliis communes, quemadmodum Sol & ignis lucem, absinthium & vinum vim calefaciendi, nec tamen præter specificam aliâ gaudent formæ: Ita etiam anima humana præter suas peculiare exigentias vegetationem cum planta & bruto, sensationem cum bruto tantum communes habet. Nec sunt animæ hic præter rationem multiplicandæ, sed conveniunt in graduum horum participatione.

§. 9. Sed hæc dico invito Zabarellâ: ita namq; c. 10. de fac. an. p. 701. *Ego vero, inquit, ex iis intelligere cuperem, quidnam sint isti gradus, quatenus enim distincti sunt, necesse est ut vel substantia sint, vel accidentia: Nam si dicerent neutrum horum esse, dicerent esse nihil, & proinde id, quod de his gradibus dicunt, nihil esset.*

esset, nulla enim ab iis distinctio, nulla univocatio provenire posset; accidentia autem dici non possunt, quia id quod substantiam constituit, non potest esse accidens.

§. 10. Respondeo gradus illos esse substantiam, non tamen aliam ab ea quæ dat gradum specificam, sed tantum differre conceptibus, quemadmodum substantia à materiâ primâ Angelo, lapide etc: quæ forma universalis ratione animalis & vivi formatur, quia videt Operationes extrinsecas, quæ denotant principium substantiale, quod juxta hoc connotatum denominat. Sic homo dicitur animal quia concipitur per ordinem ad sensationem, rationale verò per ordinem ad discursum: Mandoza phys. disp. 4: Sect. 3. Interim non sunt realiter distincta principia harum operationum & quia unus gradus absq; altero concipitur, sed à parte rei est unum & idem quod inadæquatè concipitur.

§. 11. His ita constitutis, taceat Horstius lib. 2. de Homine c. 2. q. 4. cum suis asseclis de æquivocatione generis, ac si nimirum animal de homine & bruto non univocè prædicetur: dum nimirum, uti inquit, sensitiva in homine esset virtualiter, in bruto verò essentialiter. Neq; in bruto est essentialiter, uti ipse terminum sumit, nimirum peculiaris à specifica. Si verò quis per τὸ essentialiter intelligat id, quod objecta sensibilia percipit in utroq; est essentialiter & nulla hinc generis æquivocatio, quemadmodum etiam si per animam vegetativam intelligitur id quod disponit materiam, auget, nutrit, in homine planta & bruto est formaliter & essentialiter;

§. 12. Nec obstat in bruto & planta esse materiales, in homine vero spirituales. Materialitas sanè & spiritualitas tantum concurrir per accidens, nec pertinet ad conceptum vivi & animalis. Quod si animal exiade æquivocè de homine & bruto, vivum de his & planta prædicarentur: nã substantia de lapide & Angelo Prædicabitur æquivocè. Taceo Authores hodiè statuere τὸ vivum genus univocum respectu Dei & reliquorum viventium. Compton, de an. d. 6, sect. 2. seqq.

§. 13. Mirum occurrit quod de universalibus occinit: quasi aliud sint à singularibus, & conceptibus adæquatè correspondere debeant res seu contra, Falsissimum hoc est, & contra experientiam, colorem

enim percipio absque albedine, corpus absque lapide &c. & est vel imperfectio intellectus, qui limitatae virtutis cum sit, rationes omnes & formalitates in re aliqua clausas, ut attributa omnia in Deo, simul representare non potest, sicque inadaequatis ea conceptibus sigillatim representat: vel est perfectio intellectus, qui se, non materiali modo in objectum suum fertur, ut Potentiae sensitivae, sed spirituali magis & subtili ratione, sicque illud in se unum dividere intentionaliter, & in formalitates varias partiri potest. Compton. Log. disp. 23. §. 1. n. 2. Plura de universalibus hoc sensu vide apud Mendozam Metaph. d. 5. l. 3. seq. Arriag. Log. d. 5. l. 1. Subs. 2. n. 6. Carleton. Log. disp. 21. Sect. 2.

Stal. Metaph. c. 33. qui insimul Scotistarum errorem pluribus refutant.

SUBSECTIO IV.

§. 1. Genus sequitur differentia; quae est ratio rationale, quod soli, atque omni ex aequo Competere confido; Licet enim Porphyrius lib. 3. de abstinentia statuatur bruta ratione uti; idque ex mutua eorum significatione & admirabili solertia colligat: nec non Plutarchus lib. 5. de placitis Phil. c. 20. Scribat dogma fuisse Anaxagorae omnia bruta ratione pollere, itemque Pythagorae, ipse quoque Plutarchus huic suffragari videatur in Dialogo, qui inscribitur, *quod brutis ratio in sit*: licet denique Hieronymus Rotarius libello cui titulus *quod animalia bruta ratione utantur melius homine*: id contendat veruntamen rationem non nisi κατ' αναλογίαν tribui posse perspicuum est ex his, quae disputant conimbric. l. 2. c. 9. q. 3. art. 1. Putridum Manichaeorum placitum, ac si plantae, arbores & similia ratione uterentur, iam dudum irrisit S. Augustinus l. 2. de morib. Manich. c. 17.

§. 2. Ex aequo dixi: Non enim puto si quae excellentia in actionibus non omnibus competens apparet, eam argueri inaequalitatem & maiorem perfectionem essentialem, ceu statuunt bene multi, quos citat Carleton de an. disp. 5. §. 3. n. 3. quibus subscribunt Franciscus B. S. phys. part. 1. 2. 1. tr. 3. dub. 2. & Philippus de SS. Trinitate 2. 2. quaest. 40. art. 3. Sed eam refundi posse in temperamentum, cuius indicium do, quod eodem subinde die reddatur quis de acuto hebes & contra.

Neque varia dispositio in viris & foeminis inaequalitatem animarum statim denotat: etenim non nisi per accidens est, quod patet in her.

Hermaphroditis, ubi aliquando eadem anima est sub utrisq; dispositionibus. Idem patet in illis, qui nascuntur gibbosi, claudi, cæci &c. Nemo enim dicet animas illas naturâ suâ petere has dispositiones. Ita Mendoza disp. 2. de an. Sect. 4. Carleton l. c. Adde quod stante traduce sæpè numero effectus sit nobilior causa.

§. 3. Præterea mirum alicui videri posset, quod rationale adderim corpori, cum repugnet esse corpus & esse rationale. Verum observari volo, me hîc corpus non reduplicativè, sed cum adjectione considerare, quemadmodum corpus dicitur vivum & sentiens.

§. 4. Inquis; corpus ex eo dici vivum & sentiens; quia omnes ejus partes vivunt ac sentiunt: non ita rationale. quia in unâ tantum parte exercetur ratio! Respondeo, hîc animam non considerari in ordine ad actiones, sed ad complementum substantiale. Cum verò anima rationalis uniatur toti corpori & singulis ejus partibus, etiam totum corpus potest dici rationale. Quamvis etiam ex liberalitate largiar animam rationalem non nisi in capite aut una parte cerebri uniri, nihilominus corpus poterit dici rationale, sicut totus homo dicitur rationalis, licet tantum in una parte ratiocinetur.

§. 5. Objicis, si corpus rationale sumatur hîc, quatenus corpus jam unitum est cum anima humana: sequi inde, animam humanam esse actum sui ipsius: cum jam involvatur in corpore rationali? Respondeo parem esse difficultatem ac quando dicitur pars differt realiter à toto, ergo differt à seipsa, cum jam involvatur in toto. Quemadmodum verò illud non est, cum mutetur suppositio: nam eo ipso quod capitur pars sigillatim, jam sumitur aliud à toto. Vide Carleton, de distinctione includentis & inclusi Log. disp. 22. S. 1. Ita etiam hic eo, quod capitur anima humana, alia sumitur à corpore rationali: non quasi alia forma sit à parterei, sed quod sit id, unde ejusmodi corpus revera tale est habet illud esse. Quo sensu lux definitur quod sit actus corporis lucidi, anima humana dicitur forma hominis, albedo actus albi; forma dat esse rei &c.

§ 6. Restat ut disquiram an anima humana sit forma corporis. Non repetam hic eorum sententiam, qui animam hominis secundum omnes gradus corpori uniri negabant, utpote iamdudum explosam. Sed negotium facessere videtur Cajetanus, qui 1. part. quæst.

70. art. 1. unam quidem animam in homine concedit: non
tamen secundum hunc ultimum gradum eam corpori uniri largi-
tur.

§. 7. Contrarium tamen verum est. Quanquam enim ani-
mam humanam reduplicativè considerem; nihilominus physicè cum
sensitive & vegetativa est unum & idem. Ex quo infertur unio-
nem physicam animæ & corporis esse unionem omnium graduum:
ac proinde respectu unionis non aptè dici unam formalitatem in
indivisibili essentia uniri & alteram non. Nam unio Physica non
tendit in formalitates, sed in totam entitatem. Mendoza de an. disp.
1. Eccl 5. Arriaga de an. disp. 1. sect. 3.

SECTIO III.

ORdo naturæ deducit nos ab essentia ad proprietates, quemadmo-
dum supra, dum ordinem cognitionis sequeremur, proprietates
monstrabant essentiam; ex his verò palmarias censeo intellectum &
voluntatem. Tametsi enim complures hoc loco disputent de Spiri-
tualitate animæ, imò eò deveniant hodie, ut affirmant, animam ra-
tionalem immaterialem esse neq; ex sanâ ratione, neq; ex sacris lite-
ris perspicuè probari posse: ego tamen hanc proprietatem, si quæ est,
potius ad Pneumatologum spectare autumans cum Pererio phys. c. 9.
p. 30. & 37. quas habet in esse formæ, huc traham. Quarum, uti insi-
nuatum, præcipuæ sunt duæ intellectus nim. & voluntas. De sin-
gulis singulæ instituendæ forent disquisitiones, si pro dignitate
eas tractare vellem: quia verò dum brevitati studeo, charta eas non
capiet, duo tantum theoremata de iisdem proponam: in quibus dis-
cutiendis sufficiet mihi probabiliter differuisse: intemperantis enim
ingenii est, ut ait Philosophus, in omnibus velle quærere mathemati-
cas demonstrationes.

Theorema I.

Intellectus & voluntas realiter à se invi-
cem non differunt.

Duas dixi esse proprietates præcipuas animæ humanæ, quo ipso
notatur aliqua differentia seu distinctio. Qualis vero ea sit, an rea-
lis

his, an verò rationis, acris hodiè alitur quæstio. Durandus 1. sent. d. 3. q. 3. pro negandâ reali distinctione rationes affert haud contemnendas: ego missis ejus rationibus rem obtinebo, si intellectum & voluntatem ab anima humana realiter non differre probatum dederò. Quæ enim sunt eadem uni tertio inter se sunt eadem.

II. Theorema.

Intellectus & voluntas non differunt
realiter ab anima.

§. 1. Nemo putet Intellectum & voluntatem ideò realiter differre ab animâ humanâ, quod sint ejus proprietates: nam divisibilitas etiam est proprietas quantitatis nec tamen ab ea realiter differt. Stal. reg. 14. tit. 14. Neq; opus est, ut proprietates semper realiter differant ab essentia; Sic risibilibus non differt realiter ab hominis essentia Compton. Log. disp. 38. S. 1. n. 2.

§. 2. Thomistarum sententia, quæ illas ab anima realiter distinguit, primâ fronte Probabilis visâ est, re verò accuratiùs deliberatâ deprehendi implicare, habere cum essentia peculiarem connectionem, quod est proprium proprietatis, & esse superfluum. Superfluum enim non potest connaturaliter alicui debere quod putò notum esse & exemplis non illustrandum. Intellectum verò & voluntatem ab anima distincta, supervacanea esse hoc argumento evinco:

Quicquid nec ad esse simpliciter neq; ab benè esse animæ humanæ requiritur, illud in ea est superfluum.

Atqui intellectus & voluntas in quantum realiter distinguuntur ab anima &c. E.

§. 3. Minor ut constet, suppono animam immediatè operari quâ de re fusè agunt Mendoza de an. disp. 4. S. 2. Arriaga hîc disp. 3. sect. 1. sub 1. seq. Carleton hîc d. 13. S. 1. Franciscus B. S. phys. p. 4. d. 3. Imò moderni Thomistæ ipsi concedunt & doctorem suum Angelicum defendunt, quando arguitur contrarium statuisse. Ita namq; Fromondus dean. lib. 1. c. 6. art. 4. Licet enim S. Thomas neget substantiam creatam operari sine medio instrumento; sentit tamen eam

C

actioni

actioni instrumenti se etiam admiscere. Nonne enim, pergit, etiam si
securis secetur, & malleus tundat, faber etiam brachia movet? Sic visus
videt & intellectus intelligit: Sed etiam anima & quidem principa-
liter idem agit & ista sua instrumenta ad opus applicat. Et paulò post
concedit animam ex appetitu naturali, quem habet ad sui conserva-
tionem & perfectionis stabilimentum potentias solam sine instru-
mento effundere, sibiq; ipsi instrumenta conficere.

§. 4. His concessis desinant Thomistæ nobis objicere actum
& potentiam esse in eodem genere, ex Doctore suo Angelico p. 1.
q. 77. a. 1. ubi ex hoc ratione probare conatur potentias animæ rea-
liter differre ab animâ. *Cum enim potentia & actus, inquit, dividant
ens & quodlibet genus entis, oportet, ut ad idem genus referantur poten-
tia & actus: & ideò si actus non est in genere substantia, potentia, quæ
dicitur ad illum actum, non potest esse in genere substantia.*

Quod ipsum præterquam quod arguit contradictionem in Tho-
ma juxta modò allatam explicationem, multis insuper instantiis so-
lubile, adde quod sic tacitè processus in infinitum astruatur, uti con-
sideranti patet.

§. 5. Jam si juxta ipsos adversarios anima producit potentias
illas realiter differentes ab anima: quidni pari facilitate actus intel-
lectus & voluntatis? Non enim minorem in productione propor-
tionem habet cum actibus quàm cum istis potentiis, ergò frustra hoc
modo statuuntur.

§. 6. Insurgit Fromond. d. l. *nec natura*, inquit, *ubiq; est tam
parca, quàm clamitant Nominales.* Nam licet superflua non cumulet,
multa tamen vel ad ornatum, vel ad faciliorem operandi modum creatis
agentibus suppeditat.

min. simpl.

Respondeo 1. quoad ornatum non video qualis nam sit, potius
imperfectio est. Si enim quo quid simplicius eò perfectius, id quod
minus perfectum est. Quid? quod si natura eas ad ornatum fecisset,
non dubium, quin aliquod evidens indicium prospexisset, ne ille
ornatus in obscuro lateat.

Respondeo 2. quoad faciliorem operandi modum: illum fore
difficiliorem. Duplici enim concursu eget, primò quò conservet illa
accidentia. Conservatio autem nihil aliud est quàm iterata pro-
ductio

ductio Compt. Phys. disp. 25. Sect. 7. alterò, quo concurrat ad actus intellectus & voluntatis.

§. 7. Quando autem videmus agentia naturalia, ut ignem, aquam &c. mediis accidentibus agere, non statim concludendum est in animâ id quoq; fieri. Longè alia est ratio. Illa enim operantur in subjecta locis disjuncta: atq; ita illud intervallum vicario quodam, supplevit natura, nimirum accidentibus, quod in anima non contingit; quod si in anima idem fieret, ut sc. in alia subjecta ageret, fortasse etiam accidentibus uteretur. In quantum verò illa agentia naturalia producunt primò in se accidentia, immediatè pariter & absq; superimposito accidentis producunt, sic ignis in se primò immediatè producit calorem, aqua frigus, &c.

§. 8. Præterea licet anima ad multos & valdè differentes actus determinetur: non tamen ad eos requirit instrumenta. Possunt enim immediatè ab anima fieri: aut si omninò requiruntur, cur tantum duo & non plura, cur non aliud ad apprehendendum, aliud ad iudicandum, unum ad amandum aliud ad odio habendum? Cur non in igne aliud ad alium ignem, aliud ad calorem? &c.

Taceo hanc rationem esse contra ipsos Reales. Nam illa accidentia conservantur ab anima: illa conservatio fit concursu, qui, ut paulò ante dixi idem est ac iterata productio: ille concursus conservatio- nis aut est unicus, aut est multiplex pro numero potentiarum, non unicus, quia unico concursu non concurrat ad intelligendum, & volendum, ergo multiplex. Hic ergò anima determinatur ad multos & differentes actus: ergò ut facilius operetur, indiget, juxta reales accidentibus superimpositis, & multo magis, quia concursus ad conservandum semper est, intelligere verò & velle non semper, nisi dicere velint, quod semper de novo simul producat unica actione potentias istas & simul intelligat (quod tamen partim fit receptione atq; ita contradictionem involveret) & velit. Quod si hic nulla accidentia statuunt anima difficulter operatur. Et videant quæso, dum animam sublevare volunt, an non potius aggravent. Cur non potius animam statim immediatè sine accidentibus difficulter & non semper quam difficulter & semper operari concedunt. Quod si verò statuunt, aut dabitur progressus in infinitum aut entia præter ullam rationem multiplicabuntur,

Apparet ergo accidentia illa Thomistarum esse entia rationis.

§.9. Porro, experientia quæ de intensione & remissione præten-
ditur nulla est. Meminerint Reales, animam, quamdiu est in corpore
dependere ab eo tanquam formam ratione phantasmatum & disposi-
tionum. Quando ergo anima non tam expedita est in intelligendo
& volendo, non fit ob vires aliquas istarum Potentiarum deperditas,
sed ob deperditas aut corruptas dispositiones corporis. Quod pa-
ret in pueris, senibus repuerascentibus amentibus &c. Adeoque
tametsi intellectus & voluntas in actu primo sint ipsa substantia ani-
mæ, in actu tamen secundo seu quoad exercitium pendet à dispositio-
ne organorum corporis.

10. Rogabis deniq; quomodo hæ proprietates invicem distin-
guantur etiam secundum rationem? Profectò non video cur non
potius unam aut plures hisce duabus possint constitui. Amare enim
& odio habere quæ alias ad unam referuntur, magis sunt contraria,
quam intelligere & appetere. Formalitas objecti nihil facit nisi ve-
limus pari ratione visum dividere alium ad nigredinem alium ad al-
bedinem propter diversas formalitates. Dicis: propterea visum non
distingui, quia ejus objecta genere conveniunt nimirum colore: re-
spondeo colorem esse universale quod à parte rei nihil est quam o-
maia singularis hæc albedo, hæc nigredo &c. quæ cadunt in sen-
sum.

§.11. Si tamen præter arbitrium primorum distinguentium,
ratio danda est: cum Arriaga & Comptono isthanc assigno, intelle-
ctum ex eo distingui à voluntate, quod determinetur per speciem,
voluntas contra per intellectum. Quæ difficultas utriq; parti commu-
nis est. Facilius procedimus in distributione sensuum exteriorum: ibi
enim sit specificatio ab organis, si corpus tantum suppeditet instru-
mentum & non potius aliquid amplius & excellentius nempe par-
tem integram, quod cum anima sensum essentialiter constituat,
qua de re Jacob Martin. lib. 1. c. 14. de comm. propr.

§.12. Quæ deniq; Fromondus, Zabarella & Thomistæ commu-
niter objiciunt, ex supradictis refutari possunt, omnia enim ita com-
parata sunt, ut minorem meam non infringant. Quod si verò quis
necessitatem solidè probaverit: tunc cedam.

SE-

SECTIO IV.

S. 1. Restat ut de fine agamus, qui est vel primarius nimirum, constituere cum corpore seu materia unum per se, vel secundarius, ut intelligere velle, ridere &c. utrumq; Conimbr. de an. lib. I. c. I. q. 6. art. 3. his describunt verbis: anima Conjungitur corpori propter substantiale bonum totius, ut videlicet ex ea una cum corpore species humana compleatur: itemq; propter accidentariam quandam sui ipsius perfectionem, nimirum ut perficiatur cognitione intellectuâ naturæ suæ congruente, quam sensuum ministerio acquirit, &c.

Necesse est quod dicat operationes potius esse finem primarium, quia sint digniores ipso complemento substantiali: dum nimirum relinquunt minus potentialitatis, quam anima ratione Complementi substantialis. Nam respondeo, quod secundum hanc præcisionem, qua ordinatur ad animatum, nullam relinquunt potentialitatem, et que ita est dignior quia dat dignus esse actum nimirum substantialem, qui præ actu accidentali à naturâ intenditur. *Hinc licet accidentia* (verba sunt Comptoni de an. disp. 1. s. 2. n. 3.) *etiam sint actus, sunt tamen comparata cum anima actus quasi secundus, nempe posteriora dignitate: primus enim seu principus actus corporis seu materiae vel compositi est actus substantialis, reliqui verò actus sunt secundi seu secundarii & minus principaliter intenti, nec nisi intuitu substantialis actus.*

Quatenus verò anima in ordine ad operationes præscinditur seu quando potentia vicem subit, cum Complutens. de an. disp. 2. q. 1. s. 2. n. 7. & 8. & Excellentissimo Stalio concedimus operationibus imperfectiorem & minus dignam. Verba Stalii sunt isthæc Tit. 2. reg. 9. p. 51. *Potentia quælibet, etiam non primo ad actum ordinata, qualis quoq; est substantia respectu accidentis, hoc modo est imperfectior, & sic refertur ad ipsum ut imperfectum ad perfectum.*

S. 2. Atq; hæc de fine physico. Finem moralem si licet ex hac disputatiuncula capere, potest esse hicce, ut nimirum modestè de nobis sentire nostramq; infirmitatem & caliginem intellectus agnoscere discamus.

Si enim illud quod quotidie nobiscum gerimus, Quo vivimus, sentimus, plene pernoscere non possumus: multo minus mysterium illud SS. Trinitatis & voluntatem Dei de nostra salute, Cujus in natura ne vestigium quidem habemus, cognoscemus. Nostrum itaque est gratias agere benignissimo Deo, quod notitiam de re tanta in lege & Evangelio patefecit.

Quod super est, tibi, Deus ter opt. max. ex intimis cordis mei recessibus summam devotione gratias persolvo: quod non tantum me ex latebris ignorantiae rusticae vocatum tuae Scholae inseri, bonisque literis & moribus hucusque informari voluisti, verum etiam ad Praesens exercitium vires suggerere dignatus es. Da, ut deinceps inveniam patronos fautores, sub quorum cura studia mea indies magis magisque cumulare possim: nec vero sinas paupertate cursum studiorum inhiberi: ut exinde surgat Nomini tuo
Gloria! Amen.



Ad Humaniss. Dn. Respondentem.

TE, SCULTETE, nihil memini sine mente locutum,
Quomodo, quæ scribis, mente carere putem?
Imò duas animas scriptum hoc complectitur unum,
Altera ei forma est, altera materia.

*M. Jac. Thomastius,
Eth. Prof. P.*

PERLUSTRANS anima, SCHULTZI, mysteria nostræ,
Eximia prodis sedulitatis opus.

Euge! perge viâ hâc, quâ rectâ pergis honoris
Ad culmen; Palmam, pergere perge, feres.

εὐν. εῖν.

M. Johann-Christophorus Lichtner.

MANTO: qui Psychen disquirit, quanta data illi est
Dos! Tibi, Callaicis quicquid fodit Astar in ar-
vis:

Magnus eris: tandem hæc tibi præmia nempe
manebunt.

Φιλ. εῖν.

Th. B. contub.




ribi
nil
P
me
hil
Pa
u
lido
hen
BU

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

M. Johann Christoph
M
Migen erit: tandem nec
tandem

Phil. in
Th. B. cond.



V. 178



11

ia

ich
edw
Duh

ch

schon
feh

niz
Fr

toniz
Pod

Brad
Nilez

nizka

I
BIBL.

